


ANN. XVI - FASC. IV

MENSE APRILI MCMXXIX

ALMA ROMA



QVID QVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET



SINGULIS MENSIBUS EDITUR ROMAE, TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

Pro "ALMAE ROMAE," Sociis

nuperrime prodiit JOSEPHI FORNARI

PARVUM ANTIBARBARUM

Volumen, cui praefatus est FELIX RAMORINO. constans pagg. 103, editione portatu facili, venit italic. libell. 8.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venum dantur eiusdem auctoris Milesiae fabulae latine scriptae scènisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

Fridianus-Francisculi prandium.

Singulae pretio italic. libell. 2.

(Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus).

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integralm ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXVIII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 350 pro Italia; pretium duplicatum, libell. Italic. scilicet 700, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngraphan (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XVI

Romae, Mense Aprili MCMXXIX

Fasc. IV

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXIX est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; *ante solvendum rectoque tramite mittendum* ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96*.

De latinae linguae studio¹

II.

Existimant clamitantque alii, qui aratum et litterarum contemptores sunt, laudem perexiguam esse puri sermonis et linguae latinae, utpote quae ad veram eruditio[n]em ne pertineat quidem, eamque facili negotio parandam esse omnibus. Neque verentur aliquando flocci pendere felicissimas huius linguae aetates, quibus, ut ingenium ipsis est, iudicant, auctores eam, ceu vernacula[m], solitos fuisse pro lubitu tractare.

Enimvero sunt illi fortasse ex eorum numero, qui, nisi conveniat suis moribus, nil rectum putant; et bonas litteras oderunt non ex alia ratione, quam quod eas ignorant. Profecto principes viri, et illi ipsi, quos calumniantur, huic patriae suae linguae maximam impenderunt operam, ac studium eius tam vile et abiectum non esse exemplo suo abunde testati sunt. M. Tullius Cicero - et quantus orator, quantus in republica consul! - haud obscure innuit,² Romanos, et illos suae linguae peritissimos, aliquando maximam unius

vocis curam adhibuisse. Scripserat ille librum, quem, ut, eodem teste,¹ tunc temporis solebant, Attico et Varroni, tamquam Aristarchis, examinandum misit. Quo perfecto, Atticus non dubitavit monere Ciceronem de una voce mutanda: *sustinere remos*, cuius loco malebat reponi: *inhibere remos*. Cicero de voce mutanda coepit ante quidem cogitare; postea vero, a nautis veram verbi nautici significationem edoctus, quem bene rem secum perpendisset, rescripsit Attico, se malle prius retinere verbum, eiusque caussam produxit.

Secum etiam scrupulose disputavit, num scribendum: *ad Piraeaa*, an: *in Piraeaa*; num: *Piraeum*, an: *in Piraeum*; atque post longam haesitationem ad Atticum scribit:² «Quoniam grammaticus es, si hoc mihi ζήτησα persolveris, magna molestia liberaris». Ecquis non fuerit miratus, virum consularem, annos iam sexaginta natum, in media bellorum civilium tempestate, quum neque sibi, neque familiae prospicere posset, adeo de unius verbi constructione sollicitum fuisse?

Idem Cicero³ Tironem suum quoque reprehendit, quod non satis proprie dixerit: *fideliter valetudini inservire*.

¹ Ibid., lib. XVI, epist. 17.

² Lib. VII, epist. 3.

³ Ad famil., lib. XVI, epist. 17.

Rursum ille¹ ob locutiones minus proprias Antonium exagitavit.

Pompeius Magnus, tertium consul, quum tot populis, quos subegit vicitribus armis, vivendi praescriberet modum, unius vocabuli terminationem ut religiosius servaret, grammaticos consilium rogavit, num: *tertio*, an: *tertium* esset scribendum, atque illis in diversa abeuntibus, imperatori Cicero suasit, ut literarum compendio: *tert. scribebat*, quod pro ingenio ac llibitu quisque legere posset. Ita vero, etiam Gellio affirmante,² de viris doctis indicare veritus est, ne, quorum opinionem improbasset, ipsos improbabasse videatur.

Tiberius Caesar adeo fuit latinae linguae studiosus, ut vetuerit *emblematis* vocem, quod Graeca esset, in edicto poni.³ Deinde quum *de strenis* edictum proponebat voce non latina esset usus, convocavit omnes qui latinam elegantiam studiose observarent. Tum aliquis eorum dixit Caesarem hominibus civitatem dare posse, distinctionibus non item. Quod Caesari placuit.⁴

Timidior autem illo Favorinus fuit, qui Hadriano imperatori, verbum eius quoddam reprehendenti cessit quidem, sed non aliam ob caussam, quam quod illud potentiores sciret. Nam arguentibus amicis, quod Hadriano male cederet de verbo, quod idonei auctores usurpassent, risum movit iucundissimum, atque respondit: « Non recte suadetis, familiares, qui non patimini, me illum doctorem omnibus crederet qui habet triginta legiones ».⁵

Quoquo se res habeat modo, ex illustris virorum exemplis discimus, quanta illis casti ac pueri sermonis cura fuerit;

¹ *Orat. Philipp.*, III.

² *Noct. Attic.*, lib. X, c. I.

³ SUETON. in eius vita, cap. LXXI; DIO CASSIUS, lib. LVII.

⁴ Eodem teste DIONE CASSIO, lib. LX, et SUETONIO, *De illustr. grammatis.*, c. XXII.

⁵ AEL SPARTIANUS, *Hadr.*, c. XV.

quantaque diligentia eruditionis sua vulgaverint monumenta. Neque adeo mirum, in illis nunquam stili hebescere acumen, eamdemque dignitatem, vim atque decus orationis a capite ad calcem praeclare sustineri.

Si quis igitur in tanta orbis litterati frequentia velit tandem pertinacem indomitamque majorum industriam atque gloriam aemulari, facili quidem negotio etiam deprehendet, optimarum artium ac litterarum, in primis linguae latine censum citra sudorem parari non posse; neque honorem et alia praemia, quae ex liberaliori disciplina veniunt, oscitantibus consuevisse in ora delabi; sed incomparabilem assiduitatem cum optima studiorum ratione coniungendam esse. Quamvis etiam ad hoc maxime videatur pertinere solida, eaque longo usu perfecta, praceptoris doctrina et docendi ratio, quae nec operosa, nec fusis praceptionibus constans, sed brevis ac simplex requiritur, certius tamen nihil est communis, omnium experientia, quod latine linguae et illis artibus, quae ad humanitatem pertinent, plus conferat, quam diuturna et accurata veterum et optimorum auctorum lectio; quemadmodum nihil magis cavendum, quam librorum vulgarium et corruptae latinitatis frequentior usus.

I. N. F.

Benedictinum Montis Cassini coenobium

Centenaria commemoratio Montis Cassinensis coenobii illius per saeculorum cursus celeberrimi, quae his diebus agitur, nos impulit, ut et nos de eodem in nostro commentario aliquid diceremus. Quamquam huius loci fama tanta est apud omnes qui litteras et artes colunt, ut instituentes de ipso facere mentionem tales nos sentiamus quales qui exiguum darent assem-

talenta debentes. Quidquid enim Italiae, Europae, universo denique Orbi terrarum a prisca maiorum sapientia reliquum est, quod lucet adhuc, omne prope ab hoc asceterio et servatum fuit, et novum postea quodammodo suscepit ortum et nactus est incrementum. Quanta autem in ipso et ab ipso lux emicuerit et coruscaverit, profecto poteris intelligere, si animadverteris toties vastatum, expilatum, nunquam omnibus fuisse prorsus orbatum divitiis; toties extinctum, suapte semper iterum vi refusisse; toties oppressum, sua rursus virtute semper emersisse gloriosum.

Exstans olim, et splendore suo et mole, omnium gentium a servo ad Caesares in se oculos et ora convertit; dirutum, nomine magno, magis quam si esset integrum, a ruinis et exterminiis impositis se vindicavit; resurgens, iterum tot in se Musarum congregavit opes, ut vigeat viratque adhuc aeternum iuventa. Quoniam ergo nomine digne appellabimus locum, quem nec barbari sternunt, nec saecula labefactant, nec inimici possunt destruere, nec insidiatores opprimere, nec detrahentes minuere, nec invidentes exterminare, nec exhaustire praedones et redigere in paupertatem? Nomen, qui volunt, exquirant, ut, prouti compar est, nuncupent; nos tantum de historia eius summo hausti attingemus.

* *

Traditur a M. Tullio Enni poetae sententia, qua monemur fuisse olim in Italia vetustissimum genus hominum, qui Casci appellarentur. Civitas haec, giganteis viribus potens, oppida sua moenibus vallabat enormibus, illa adstruens ingentibus moliibus, saxis immanibus, contra quae circiter quadraginta et ultra saecula frustra irruperunt. Caput gentis et princeps urbs Cascinum, seu Cassinum fuit, quam sibi pariter Volsci et Campani asserebant. Iuxta Latinam viam, in finibus novi Latii et Felicis Campaniae, assurgebat munis-

tissima loco et operibus, et priscis in literis interdum Casca, interdum Heraclea dicebatur, quasi primo vocabulo, Osco sermone, antiquissima celebraretur; altero autem, ab Hercule vel exstructa, vel Hercule digna, vel Herculi robustissimo consecrata. Rudera, reliquiasque murorum, cyclopicum opus, admiratur peregrinus attonitus. Sabini, Osci, Volsci, Samnites, Campanis quotidiani hostes, quibuscum de imperio uberioris Italiae certabant, olim incoluere, alias post alium; quorum postremi Samnites Cascum oppidum, scilicet vetustissimam urbem, prisco nomine non mutato, retinuerunt in sua potestate, donec Romana res orantibus Campanis accessit, et sibi socios adscivit ut Samniticam ab iniuria eos liberaret.

Flagrante igitur Samnitico bello, Casco Romani potiti sunt, et illuc, Lucio Papirio Cursore, Caio Junio Bubulco consulibus, anno ab Urbe condita **ccccxli**, quattuor veteranorum millium colonia, trigesima, deducta est, quae prima obstaret Samnitibus, et vigilaret siqua molirentur, siqua tentarent irreconciliabiles adversarii, qui nec Romanorum patiebantur aequo animo imperium, nec incolumes Campanos esse volebant, utrosque exterminaturi, si potuisserent. Anno Urbis **dclxi** Municipi nomine Cascinensis colonia decoratur.

Apostolorum Princeps Petrus ibi mansisse dicitur et Episcopos constituisse, quorum successores apparent Caprarius, anno p. Ch. **cccclxv**, qui Concilio subscripsit a Pontifice S. Hilario Romae coacto, et S. Severus, qui Romae pariter in Concilio fuit anno **ccccxxxvii**, Felice III Pontifice iubente.

Alarius, Gothorum rex, Cascinum quassavit: Theodoricus flammis, ferro penitus est depopulatus; at, mirabile dictu! tot inter caedes et funera et ignes, duo idolorum ibi restituta sunt templa, quorum Venus alterum, alterum Apollo haberet. Ibi oracula convaluere, ritusque

turpes et sacrificia rursus instaurabantur. Qui fuerat oppido tanto locus, vix raro habitatore incolebatur: rudera aedium, subtractiones pro caulis, pro mapaliis erant: ibi degentes omni ferme soluti lege vivebant, in tantum subiecti quia latifundum patricium colebant: paucae exiguae domus Castrum Cassini, seu Castrum Casinense constituebant.

Interea v post Christum saeculum excedebat, et quidam adolescens, cui Benedictus magno omni nomen fuit, in eremo Sublacensi, totum se caelestibus addixerat.

Aestuabat iterum Italia caedibus, incendiis, vastationibus barbarorum. Desessi animi, tristes, incerti, pacem quaerebant. Benedictus in Dei nomine pacem praeferebat, hoc tantum si praestitissent, scilicet humanas omnes abiicerent curas, mundana omnia relinquenter; quid enim nisi mortem, rapinas, incendia, servitutem mundus offerebat? Iamque Sublacensis eremus impar adeuntibus erat. Hinc Benedictus, in Sublacensi valle, plura monasteria moliebatur circa Neroniana rura et lacus labentia, neglecta, expilata: solitarii maerentes hi, aureae navis argenteorumque remorum, purpurei veli, citharoedorumque immenses in lintribus olim suavissimis cum Augusto suo sepulchorum, lucente luna, decantabant. In hoc erant, quum accessit patricius Tertullus, obtulitque educandos duos filios, Maurum et Placidum, Patriarchae; insuper «pro redemptione animae suae» latifundium ingens Cassinense donavit; donavit praeterea quamplurima, quae a lacu Fucino et campus Palentinis ad Anxur ferme producta possidebat. Duodecim monasteria Benedictus in Sublacensi erexit; at duo simul premebant ut inde migraret, viri quidam nequam illis in regionibus, et angor saevissimus ob ea, quae in Cassinensi suo latifundio ab idololatriis patrari audiebat.

Abiit itaque Cassinum ad Castrum, nulla que mora interposita, Veneris et Apol-

linis sacerdotes a delubris profligat, lucum turpissimae Deae sacrum incendit, idola frangit, asceteriumque ibi molitur, ubi iniqua mysteria recolebantur. Quod Cassinum fuerat Castrum, aedificato ibi templo et monasterio, Castrum S. Petri ad monasterium vocatum est. Quod fuerat sacrum Apollini et Veneri, templum ingens Ioanni Baptista fuit, turrisque prope edita est, in qua et essent conclavia monachorum, et esset tutamen a repentinis incuribus barbarorum.

Locum hunc integrum, locaque plura circum, praesens occupat Cassinense coenobium, quod vulgo «Abbatia Casinensis» sive «Monasterium Montis Casini» nuncupatur. Hoc ad latus Cassini montis est, excelsi ac nunquam nivium ignari, et quingentos producitur pedes in agrum, totidem in frontem. Ab oppido subiacente, cui a Sancto Germano nomen, si ascenderis, oratoria, sacella, eremos invenies Mauro, Scholasticae, Crucis, Severo, Agathae consecrata. Mox maiorem coenobii portam ingredieris, et post hanc rustica omnia videbis ab ipsa turri, in qua S. Patriarcha moratus est, ad reliqua; namque in memoriam illius relligione magna servantur intacta. Ulterius (commode quamvis ascendas, ascendis tamen), ferream subis portam, et postea plateam, quae coram monasterio est, feliciter attingis. Hic longa porticus ex albo saxo, quod marmor Tiburtinum dicunt, ordine dorico concinata, deliciosa coronata desuper deambulatoriis, solariis; post hanc tria coram te sunt atria peristyliis ornata circum, spatianitia late, distincta pergulis, porphiretis et numidicis columnarum truncis insignia in medio. Et medium quod est atrium praebet gradus ad regiam scalam, quam simulacra Benedicti et Scholasticae, sororis eius, custodiunt. Ascendens invenis vestibulum affabre exstructum, cui a statuis nomen. Hic libyco ex lapide pretiosae columnae, hic Urbani V et Clementis XI

marmoreae statuae. Inde egressus in solarium pergis, quod ex amoenissimo prospectu rerum, agrorum, aedificiorum, montium et vallium «Paradisus» nominatur. Numerabone viginti columnas ex numidico marmore? Numerabone simulae Sanctae Abundantiae, quae Benedictum genuit, aluit, educavit, Tertulli Patritii, Gregorii II, Zachariae, Victoris III, Benedicti Pp. XIII et XIV, Euprobi patris Patriarchae, Gisulf II Beneventani Duxis, Caroli Magni, Henrici II, Lotharii III Augustorum, Ruperti Guiscardi, Caroli II regis? Contemplare aeneam portam, Constantinopoli anno MLXVI confectam, in qua argenteis litteris praedia, latifundia, pagi, vici, oppida, quae olim Cassinense monasterium possidebat, enumerantur, et propriis nominibus designantur. At quaenam haec sunt? Quae tot eversionibus superfluere.

Longobardi enim, templum a Benedicto erectum et monasterium, Zotone Beneventano duce, anno DLXXXIX straverunt. Petronax abbas, quae potuerat, et magna quidem poterat, anno DCCXLIV restituit. Quae utilitas? Saraceni, anno DCCCXLVI, noctu aggressi, omnia ferro, incendio vastarunt, monachos interfecerunt, aurea, argentea omnia abstulerunt. Ioannes I abbas rursus restituit aedificiis, opibus, circa dimidium x saeculi, Aligernus intra CMLXXXVI a Christo annum omnia complevit. Sed horribili terrae motu anno MCCCXLIX omnia conciderunt, una cum oppidis propioribus. Urbanus V iterum erexit; at abbas Desiderius IV Petronius anno MDCLX solo aequavit aedificata, ut alia, quae nunc sunt, magnificentius conderet, quae anno MDCCXXVII absoluta fuere.

G. P.

*Aromata suo odore circumfusum aërem complent;
amici bonique viri praesentia sua proximos iuvant
et oblectant.*

GREGORIUS NISSEN.

De Sancto Hilario Pictaviorum Episcopo¹

Sed iam ad Hilarium proprius accedamus. Nobili genera natus, primum in matrimonio quasi monachi vitam egit, deinde, defuncta uxore, Deo se in sacerdotio deditus, et propter singulares virtutes, episcopus renuntiatus, munus episcopale sic gessit, ut summam laudem consequeretur, et christiani nominis dignitatis et incolumitatis adsertorem omnes uno ore eum profiterentur.

In illis enim difficillimis religionis temporibus, perversa Arianorum pernicies Ecclesiam vexare caepérat, et magnum inter Christianos discordiarum incendium excitaverat. Haec tot malorum causa orta est in Oriente, et maxima celeritate in omnem fere terrarum orbem pervasit. Tunc Episcoporum virtus apparuit, qui, veluti agmine composito, in aciem protuenda religione, irruerunt.

In Gallia mirabilis exstitit sanctus Hilarius, qui pugnax, disertus, tenax, mira eruditione atque eloquentia suos filios alebat atque ab adversariorum calunnia religionem vindicabat. Eius enim dictio simplex et elegans, atque identidem quodammodo exsultans, murum in modum ad se auditores ciebat eosdemque ad bonum impellebat.

Imperitabat illa aetate Constantius, Constantini filius, qui, exemplis patris ultra relictis, se in adversariorum partem miserrime, secreto tamen, contulerat.

Ancipitem imperatoris Hilarius fidem praecavit, eumque liberrime monebat, ut paternis vestigiis insistens, pacem Ecclesiae concederet atque saluti universi terrarum orbis consuleret; fidem potius defendereret, et praesertim ne in rem sacram manus iniiceret.

Invictae episcopi fortitudinis pertaesus imperator, avulsum a Gallia eum in Orientem

¹ Cfr. fasc. sup. mens. Ianuaril.

talem partem imperii impulit. Aequam in utraque fortuna mentem Hilarius servavit: exsulis enim modestiam et pontificalem dignitatem miscere mirifice consuevit.

Extorris diu multumque a suis colitur, qui a Gallia discedentem cum lacrimis et gemitibus sunt prosecuti.

Adsiduis litteris suos et optimis disciplinis instituendos curabat; namque Imperatoris persequutio non eum fregit, sed erexit. Obvios propterea alumnos mirabiliter eruditione docebat, et omnes christianae professionis gentes a potentiorum calumniis prohibebat; et summo studio ac paterna propemodum caritate ad pietatem excolet. Omnes, sui securus, re atque consilio adiuvit.

Ad haec, quum divinitus citissime Graecas litteras arripiisset, atque eleganti quadam novitate ad populum oraret, ad eius conciones tamquam ad eloquentiae magistrum frequentissimi auditores itare consueverunt.

Tunc magna inter priores exoritur contentio, ut ipse Imperator, ne eius auctoritate atque virtutibus victus inferior ab aie discederet, eum in patriam redire quam citissime iuberet.

Ad eius adventum omnis admodum Gallia contendit, eumque maxima animorum laetitia amplexata est. Quod de se gloriosius aequo Cicero dixit Romanam sibi advenientem fecisse, fecit admodum Gallia, et supergressa est Romanorum laetitiam obviam occurrens episcopo redeundi.

Omnis Gallia, scripsit exultans s. Hieronymus, luctum exxit.

Hilarii autem opera latino eloquio exarata, etiamsi, e more, aetatem suam redolent, cum fructu tamen a studiosis leguntur et doctorum manibus etiam nunc teruntur.

Quid vero in medium proferam, ut tute ipse oculis tuis videoas penitusque perspicias eloquentiam hominis atque elegantiam, diu multumque dubitavi. Pugnax

enim sive scribit, sive voce ad populum orat, acer semper est, et de quaestionibus amplissime disserit, quae ad mysteria religionis profundissime pertinent. Quid haec ad nostram actuosam aetatem?

Scripsit et complures litteras ad familiares. Sed est semper magister, semper orator. Nos diceremus s. Hilarium sese oratorem semper portendere, et in epistolis ad suos semper oratorem sese ostendere.

Ita sapientissimus atque eloquentissimus vir, rebus in arduis, a Deo mirabiliter electus apparuit ut sapientia ac fortitudine religionem tueretur, atque ab impiorum calumniis vindicaret.

Iuvenes igitur sacerdotes in primis, qui, alacritate ingenii et studio religionis praediti, ad populum sancte et salubriter alloqui cupiunt, nos ad Hilarii volumina evolvenda mittimus, eiusque exempla persequi iubemus.

Hunc in primis nocturna versate manu, versate diurna. Sic et vos suavis fortitudinis eloquio audientium mentes tenebitis et pectora pervadere potueritis, ac voluntates quo volueritis impellere.

I. B. FRANCESIA.

Amicorum minimus¹

«Candida cur scabra demulces vellera lin-
feles parve, sedens, me subeunte domum,
tam piger et placidus, dominum nec respicis?
[Eia:
in me prosilias illico; blande, veni!...
Quinque horas misero tecto sum voce loqui-
tus,
cum teneris pueris prima elementa darem;

¹ Carmen in recenti certamine poetico Locrensi laude ornatum.

nunc fessus redeo... Levibus sed cruribus
[altus
albos cur pergis tergere more pilos?»
Sic loquor; ille statim pedibus citus emicat
[inque

brachia mulcentis prosilit ecce mei.
Quot lusus hilaris genibus producit ineptos,
ore meas quoties mulcet ubique manus!
Lumina scintillant viridi renitentia luce,
atque oculis rutilis igne foramen hiat.
Blandior ipse levis; procumbit et edere ron-

[chos
incipit et tenuis lumina somnus habet.
Felis adhuc paulum crevit, certamina Martis
unquam nec gessit terrificosque iocos.
Saevos nec Veneris cruciatus pectore sentit
ut brumalis hiems undique triste furat.

Bellus, laevatus longas nunc stertit in horas,
nunc vigil haud magnam lustrat ubique
[domum.

At vos nescitis feles ut creverit iste;
nunquam pro puero tam pia cura fuit!
Namque oculos nondum luci recluserat almae
horrida cum coepit morte premente pati.
Sedulus hic calido guttatim labra caprino
irrigo lacte diu... nec piger ille bibit...

Mortem sic lusit; crevit, digitumque mo-

[mordit

quondam dente mihi; crustula parva dedi.

Purpureo postquam reclusit lumina soli
apparuit praeceps impatiensque furor.

Exiliunt unguis, enses feritate frementes,
addit dum labris candida barba decus.

Saepe cupit caudam matris mordere iacentis,
dentibus atque ferox auriculas laniat.

Ast ea melliflue ventrem, tergusque tenellum,
os nati, collum, cruraque lingit amans...

Dulcis amicus adest mihi feles; devorat ore
omnia; summus herus per loca cuncta ruit.

Ipse fero carnem nec non quandoque pla-

[centas,
quae vorat ille statim, stertit et inde levis.

Ut bellus tacitae noctis cum tempore currit,
subsilit et genibus, subsilit atque humeris,
attollit caudam, lentos dat gutture ronchos,
incubat ac placido lumine cuncta videt!

Parvus enim lychnus viridi tunicatus amictu
splendet et ante oculos pagina eburna nitet.
Campos tum video Troiae fervore tumultu
Hectora Achilleus dum rapit asper equus;
Alcinoique domo picta pellacis Ulyssis

audit magna cohors horrida facta viae.
Pectore sidoniae resonant suspiria Didus,

Vergilius pecudes arvaque blanda docet.
Lauram qui cecinit delibo carmina vatis,

Dantem vel Ditis per nigra regna sequor.
Assidet at feles humeris de more recurvis

nocturnumque meum perspicit altus opus.
At cum fervescunt species ac pectoris ignes

atque leves elegos concipit auricula,
tum calamus tremulo currit sub lampadis

[orbe
argutosque sonos candida charta ciet.
Auribus hinc videoas arrectis garrula felem

lumine et intento murmur nigra sequi.
Emicat ille levis, calamus pedibusque fre-

[mentem
implicat aspergens carmine labe nova.

«Quid praeceps (tacito sic tum sermone vide-
[tur
ille loqui) prosperas? blandule, siste, pre-

[cor,
et teneris comiti manibus blandire tenello;
vade, precor, cubitum; cras iterabis

[opus...!»
Blandior hic feli geminat qui denuo ronchos,

inde levis calamus murmure pergit iter...
Cum post parva domus placido fulgore reple-

[tur,
perque domus rimas aura serena fluit,
aequa spectantem soror assidet ante fene-

[stram
candida dum lini stamina pingit acu.

Parvus tum feles solis sub lumine dormit,
muscas aut graciles unguibus usque rapit.

At si dependens filum prospexit ocellis
aut digitalis humili parva sonans cecidit,

impellit pedibus, prosequiturque citus.
Sicque diu certat, dein lassus dulce quiescit

aut niveum vellus tergere rite parat.

*Sic feles vivit; dulcissimus exstat amicus,
diligit ipse suos, diligiturque simul.
Mane novo incipio cum longum ferre labo-*

[rem,

*limine me sequitur, me vocat... inde redit.
Post ea cum medium sol tangit lumine cae-*

[lum

*assidet ad postes, lustrat et inde viam,
ac vix perspexit venientem me vocat altis
vocibus atque domum laetior ingreditur.
Panditur interea, Vulcano flante culinam,
ex dapibus volitans undique gratus odos.*

*Multa insunt feli, tamen at maiora sequentur
inque dies melior tempore semper erit.*

*Ars aetasque simul durabunt corpus et acrem
mox gelidumque metum muribus ille feret.*

At bellum illatum iam dudum, namque tenel-

[lum

*hostem more vagum dentibus arripuit.
Inscius errabat, feles cum membra tetendit,
proruit, hinc muri certa ruina stetit.*

*Irrita cuncta fugae misero tentamina: feles
demittebat atrox, corripiebat atrox.*

Cum miser immotus morte impendente mane-

[bat

*conspiceres felem pellere saepe pede,
donec confossus, vita cum sanguine fusa,
terrificis felis dentibus esca fuit.*

*O iucunde mihi feles qui more iocisque
usque domi praebeas gaudia tanta meae!*

Quot tetricas curas mihi tu de mente pro-

[pellis,

cunctaque laetitia ridet amica domus!

*O cupiant alii secura recitante theatrum,
limina clara domus, luxuriemque malam.*

Namque unum cupio: studiis incumbere gra-

[tis

ac frontis madidas esse liquore dapes.

Atque pater materque, premit quos dura sene-

[ctus,

pignora iam teneant pectoris apta mei.

Hoc iuvat, interdumque relinquere funera

[Achillis

atque iocos felis lumine dulce sequi.

JOSEPHUS MORABITO.

LITURGICÆ NOTÆ

In sacris Romanae Ecclesiae officiis frequens est haec vox: « Iube, domne, benedicere ». Nulla fere formula brevior: sed, ubi coeporis earum trium verborum vim quaerere significationemque, statim sententias in contrarias incertum vulgus scinditur. Esse dicunt formulam liturgicam ex media petitam aetate, qua modeste et verecunde ab eo, qui auctoritate praeest, petatur benedictio in hanc fere sententiam: « Velis benedicere »; nam iubere in sera illa Latinitate non raro idem esse atque velle. Ergo errare illos, qui cum Petro Damiano opinentur ab lectore in sacro ministerio modestiae causa non ab ipso Deo, non a chori principe peti benedictionem, sed tantum hoc, ut vel Deus, vel princeps alium quempiam iubeat benedictionem impertire. In eam sententiam scripsit Gihr, homo rerum liturgicarum cum primis peritus, in Herderiano *Kirchenlexicon*. Nos, quum pudoret, quae non intelligeremus, ore proferre, de sensu eorum verborum cogitare coepamus, et quae cogitando vidiisse videbamur in medium afferenda duximus, non quo ipsi omnia censeremus certa esse et immota, sed ut ab iis, qui plus viderent, disceremus.

Et primum igitur fortasse verum est a scriptoribus labentis iam aetatis Latinae verbum iubendi frequentatum esse, ubi vel « dignari » aut « velle » dicimus. Quam enim aliam habet vim in hac voce: « Iubete facere nobiscum aliquantos dies », vel in hac: « Iubeat nobilitas tua diligenter requiri », et « Iube considerare, pater, codicem istum »? Sed quod ille, ex cuius libro haec deprimus - P. Benno Lindenbauer O. S. B., qui accurate atque diserte regulam S. Benedicti explicat - quod addidit: « sic etiam vim adgnosci illius: Iube

domne benedicere », aperte sic accipit: « Dignare, qui praeses, benedictionem dare », id quod mihi quidem non tam cito probabitur.

Nam illud scire volo, cur in liturgia, quoties sacerdoti res verbis sacranda, ut aqua, ut thus, ut cibus offertur, benedictio petatur, non his verbis: « Iube, domne, benedicere », sed planissime dicatur: « Benedicite ». Hoc « benedic » nihil esse aliud, nisi « benedic », confessa res est. Ex Gregorii Magni temporibus id fieri consuesse, ut honoris et reverentiae causa in singulis personis pluralis adhibetur numerus eo prorsus modo quo etiam nunc a Gallis facilitatur. Quid tandem est, cur illud « Iube, domne », adhibetur tantum ab eis, qui aliquem vel sacrarum litterarum vel patrum locum lecturi sint aut cantatur? Nihilne aliud causae subesse dicemus, quam quod sic fieri soleat?

Sed videamus verba formulae singula. Dicendum est enim aliquando: « Iube, domne », aliquando: « Iube, Domine, benedicere ». Gihrius in illo loco Ecclesiastici lexici rem sic definit: Solum Deum in liturgia nominari Dominum, praestantes homines vel sanctos per syncopam *domnos* dici: « Caelestem Dominum, terrestrem dicite dominum ».

Itaque quum ab ipso Deo benedictio petatur dici: « Iube, Domine, benedicere »; « iube, domne, benedicere », quum petatur ab homine. In missa, inquit, sacerdos dicit: « Domine », diaconus: « domne ».

In Divino officio omnes, etiam qui soli recitant: « domne » dicunt. Sed hoc, quod de officio affirmavit, contra rubricarum praescripta affirmavit, quibus ita praecipitur: « Citra chorum, quando ab uno tantum recitatur officium, ante singulas lectiones matutini atque ad lectionem brevem primae et completorii dicitur: Iube, Domine, benedicere », et subiungitur congruens benedictio. Ergo dubium non est, quin ab lectoribus Ecclesiae benedictio etiam in

officio petatur ab ipso Deo. Sed quid tandem id est? Si haec verba: « Iube, Domine, benedicere » hanc vim habent: « Dignare, Domine, impertire benedictionem », nonne, quibus verbis benedictionis respondentur, Deo tribuantur? Sed id quam sit absurdum neminem potest latere, qui benedictionis verba viderit. Nam quo pacto Deus dicere poterit, aut Dei nomine dici poterit: « Nos cum prole pia benedicat Virgo Maria », vel hoc: « Per Virginem Matrem concedat nobis Dominus salutem et pacem ? »

Quae quum ita se habent, illi petitione ne subiectam quidem censeo eam vim, quam a plerisque dicitur habere. Quid enim? Illud « benedicere » non esse reor boni appreciationem, sed hoc: dicere bene, aperte et distincte pronuntiare. Illud: « iube » non sic accipio, ut dicam esse: « velis », « dignare », tibi placeat, sed ut sit: « praeceps », « manda », « impone ». Illam igitur formulam integrum esse contendeo hanc: « Me iube, qui praeceps officio, bene dicere », vel, si nemo homo praeest: « Me iube, Deus, bene dicere ». Atque illud certe nemo mirari debet, quod « me », pronomen, reticeatur. Quid enim grammatici affirmant? Haec verba, quae sunt: iubere et vetare, postulare accusativum casum cum infinitivo activo, quum is nominetur, qui iubeat aut vetetur postulare infinitivum passivum cum ea persona reticeatur. Sic dici oportere: « Iube me id facere » et: « iube id fieri ». Sed activum ponit infinitivum, quoties etiam nullo posito nomine facile, qui iubeat aut vetetur, adgnoscatur. Quid, inquam, lectori stanti ad librum et tantum inchoandi signum exspectanti, quid diacono cum libro ante sacerdotem strato opus est dicere: « iube me bene dicere », quum is iam et actione sua afferat se, et fere modestius reticeat se? Illa autem, quae benedictio appellatur in liturgia, est petita legendi concessio precativis sane concepta verbis, quam vel qui praeest officio, vel, si nemo praeest, ipse, qui

petiit, pronuntiat. Et quoniam illam petitio-
nem: « Iube benedicere » semper precatio
sequitur re, non verbis idem est dicere:
« Iube, domne, benedicere » et p̄tere bene-
dictionem, ut neminem movere debeat,
quod in Missae descriptione sic inveniatur:
« Postea (diaconus) accipit librum de altari
et... petit benedictionem a sacerdote dicens:
Iube, domne, benedicere ».

Et haec quidem nos opinamur, qui
docti ab aliquo facile sententiam mutabi-
mus.

ANDREAS AVENARIUS.

IN MEMORIAM

EDUARDUS HUGON, O. P.

Nomen Eduardi Hugon lectoribus *Almae Romae* non est ignotum; vis enim eius ingenii saepius etiam in hisce com-
mentariis apparuit! Quum autem invida
mors istis ultimis diebus etiam ad eius
cellam pulsaverit, aequum est, ut non-
nulla de illo in *Alma Roma* dicamus.

Lucem vitae aspexit in Gallia, in vico
cui nomen *La Fare, Haute-Loire* provin-
ciae, die xxv mens. Augusti MCCCLXVII.
Ad altiora a Deo vocatus, mundo valedixit,
et iuvenis adhuc Ordinem Praedicatorum
ingressus est. Studiis antiquarum peractis
litterarum, in quaе magna cum diligentia
incubuit, præsertim in Homeri opera;
et etiam in disciplina regulari apprime
institutus philosophiae ac theologiae sese
addixit; quarum disciplinarum cursu felici-
citer et magno cum fructu expleto, sacer-
dotio initatus, ad contemplata tradere aliis
destinatus est, non solum in Europa, sed
etiam in longinqua America. Interea ad
gradus academicos consequendos se para-
bat, quorum examen suo tempore magna

cum laude subiit et dein rude magistri
in sacra Theologia donatus est. Anno
MCMIX Romam vocatus, in novo athenaeo
« Angelico » disciplinas theologicas per
viginti quasi annos sine interruptione do-
cuit, magno cum plausu et auditorum
fructu. Tandem, die vii superioris mensis
Februarii, mane, hora quinta cum dimi-
dio, post brevem aegritudinem oculos
terrenae vitae clausit, ut a Deo Optimo
Maximo mercedem aeternam laborum
suorum in caelis reciperet.

Fuit vir comitate et affabilitate praedi-
tus; sacerdos studio ardens pro Dei ho-
nore et animarum salute; præceptor
optimus a discipulis dilectus et veneratus.
Nunquam otio indulgebat; sed totum
tempus impendebat vel docens ex ca-
thdra, vel in libris conscribendis, vel in
apostolicis laboribus.

Doctrinæ s. Thomae ex animo addic-
tus, plura opera edidit, quae ab eruditis
magni aestimantur, in quibus doctrinam
thomisticam fideliter exposuit.

Iustum videtur, ut quaedam ex eius
operibus h̄c notemus. « Cursus philoso-
phiae thomisticae ad theologiam Doctoris
Angelici propaedeuticus ». - « Tractatus
dogmatici ad modum commentarii in præ-
cipuas quaestiones Summae theologicae
Divi Thomae Aq. » Lingua gallica com-
posuit alia opera theologica, uti de sanctissima
Eucharistia; de mysterio redemp-
tionis; de mysterio ss. Trinitatis. Praeterea:
« Extra Ecclesiam nulla salus »; « De
B. V. matre gratiae », etc.

In omnibus hisce operibus Eduardus
Hugon non solum mira arte lectorem
instruit, sed etiam ad veram pietatem
allicit; ideo mortuus etiam in futuro
loquetur!

Propter eius eruditionem et doctrinam,
præsertim de divina scientia, a summis
viris magni semper habitus est, saepeque
ab illis itemque a Romanis Congregatio-
nibus ad consilia expetitus.

Ecclesiam catholicam et eius visible
caput, Romanum Pontificem semper ma-
gno amore est prosequutus, et magno
cum gaudio semper pro Ecclesia labora-
vit. Ideo in lectulo mortis positus Su-
priori suo, illum in extremo agone aptis
verbis corroboranti et in eius memoriam
revocanti quantam Ecclesiae operam dedi-
set, tuta conscientia responderè potuit:
« Utique, Pater, quantum mihi possibile
fuit, semper in Ordine Predicatorum pro
Ecclesia et Summo Pontifice laboravi! »

Vale, anima meritissima, et vivas in
Christo!

AMBROSIUS BAČIĆ.

THOMAS VIGNAS, S. P.

Etiam Thomae Vignas nomen *Almae
Romae* lectoribus non est obscurum; et
præclarum hoc Calasanctiani Ordinis de-
cus fato concessit plenis adhuc viribus. Na-
tus enim erat Kal. Martias anni millesimi
octingentesimi sexagesimi quarti Mata-
rone, in frequenti Hispaniarum urbe, et situ
amoena et cultu nota. Sextum supra deci-
mum annum agebat, quum Dei instinctu
in Scholas Pias ingrediendum sibi consti-
tuit, votique compos factus, post curriculum
studiorum absolutum, adolescentulis infor-
mandis strenuam operam navavit.

Ineunte vero anno millesimo nongente-
simi primo, Religionis tabulario præfe-
cturus, Urbem petiit, atque ordinandis
documentis et commentario mensili *Ephe-
merides Calasanctianae* moderando totus
incubuit. Sub nomine *Aristomenis Lyr-
naei* inter Arcades cooptatus est, in quo-
rum publicis academiis quam plurima
carmina legit, sibique atque Ordini suo
haud exiguum nomen comparavit.

Supremus Ordinis Calasanctiani mode-
rator anno millesimo nongentesimo du-
decimo renuntiatus est, dimissoque post
decennium munere, in patriam remeavit

atque in operibus pietatis exercendis,
colendisque humaniorum litterarum stu-
diis postremam vitam duxit.

Acerrimus latinitatis assertor et cultor
secundissimus, plurima et soluta et ligata
oratione edidit opera, quorum h̄c potis-
sima recensenda existimamus: *Elementa
artis metricæ latinae* (Florentiae, 1905);
*Index bio-bibliographicus CC. RR. Matris
Dei Scholarum Piarum* (Romae, 1908-
1911); *Inventarium Chronologicum Ma-
gni Tabularii Religionis CC. RR. Matris
Dei* (Romae, 1912); *Carminum libri qua-
tuor* (Barcinone, 1924); *Versiones latinae
Hispanicorum Carminum* (Barcinone,
1927); *Philobiblion seu Tractatus pul-
cherrimus de amore librorum* Episcopi
Richardi de Bury, versio hispanica (Bar-
cinone, 1927); *Samuel.. Samuel.. Pro-
gymnasmata Ascetica* (Barcinone, 1928).

Praelo mandanda reliquit versionem
latinam *Atlantidis poëtae catalani Verda-
guer*, atque *Historiam Calasanctianum
Religiosorum, qui in missionibus apud
infideles exercendis excelluerunt*, in Aula
Maxima Missionaria futurae Expositionis
Barcinonensis praesentandam.

Haec est per summa capita latini vatis
hodierni vita, cuius carmina quandam
haud raro commentarium nostrum hone-
starunt, et quem *Alma Roma* lacrimis
precibusque prosequitur cum tota familia
Calasanctia, tanto orbata lumine, dolente
tanti viri magno desiderio.

THOMAS GARRIDO.

IN FUNERE THOMAE VIGNAS SCH. PIAR.

*Quam saeva mors est! Occidit occidit
Vates latinus, qui, faciles ei
Se sponte quam Musae in canora
Carmina perpetuo dedissent,*

Hac mulsit illac pectora lenibus
Lyrae sonis, vel Pierio choro
Dignis, et infudit canendo
Mentibus ingenuum vigorem.
Flet iure tellus nostra, potissimo
Hoc orba vate, ars quo sacra carminis,
Ut roscida inter nubila Iris,
Ut rosa vere novo, nitebat,
Ubique fundens dulcia aromata
Gratosque rores usque Poëseos.
Flet iure tellus nostra vatem,
Qui docuit resonare dexter
Plectrum latinum nostra poëmata,
Et plura pulcre pangere cantica,¹
Quae nempe nostrati diserti
Eloquio cecinere vates.
Tibi sit ergo laus, honor, inclyte
Cantor; tibi sit gloria, quam canant
Et litterae nostrae, et latinae:
Omne canant memores per aevum.
Te iure deflet Relligio sacra
Christi, sacerdos candide; tu piam,
Ad astra ducentem, vel ipso
Carmine iustitiam docebas.
Illustris imo flet Schola te Pia
Sub corde, puro quam, pater optime,
Splendore doctrinae regebas
Egregie per acuta rerum.
Multis bonis heu! flebilis occidit;
Sed ille vivet; vivet in optimis
Libris relictis; vivet aureo
Quae calamo documenta fudit.
Hoc, quaequo, carmen lugubre suscipe,
Amice dulcis, quod memor offero;
Me propter heu! tu non sedebis
Amplius! Ut gravis urget angor!
Sed te triumphans, quae lacrimis vacat,
Civem recepit Patria caelitum;
Hinc exsulantes perge amicos,
Perge, pater, trepidos tueri.
Vici Ausetanorum, viii Kal. Martias, MCMXXIX.

I. FONTS.

¹ Praeter alia poëmata, vertit latine exquisitus versibus *Atlantida* poëtæ VERDAGUER et, praeterea, plura alia carmina ex lingua vernacula in carmina latina.

COMMUNIA VITAE

R. — Quid de te merui (commerui) ut me auditorem quaeras? — Ad quid consequendum mea opera uti mavis? (me interponis? adhiberi poterit opera mea pro te?). — Quibus consiliis tibi subveniam? — Ex quibus difficillimis rebus vis sublevari? — Ut tuis serviam temporibus? — Ut tibi opitulabor?

— Dicere non audeo (vereor). — Quid dicam non reperio. — Nullum verbum proloqui possum. — Lingua haeret. — Vox faucibus haeret. — Versatur mihi in labiis primoribus. — Iacent rationes. — Vocem rubor (dolor; metus, etc.) includit (interpellat). — Verba non suppetunt (non suppeditant) mihi.

Breviter rem colligam. — Strictim (summatis) rem attingam (expediā; exponam, perstringam). — Paucis rem comprehendam (absolvam; concludam; complectar). — In pauca omnem rem conferam. — Maxima brevitate utar. — Brevitati studebo (serviam). — Brevitatem adhibeo (sequar). — Paucis (pauculis) te morabor. — Non te nimis fatigabo — Non aures tuas obtundam.

Nolo tibi esse importunus (molestus; gravis; odiosus; incommodus). — Vereor ne tibi importunus interveniam. — Nolo te perturbare (obturbare; interpellare). — Nolo tibi incommodare (esse incommodo; tibi obstrepere; molestiam exhibere). — Ne tibi importunitatem (perturbationem; turbamentum) invexerim (induxerim; creaverim; paruerim; attulerim). — Dubito an tibi negotium facessam. — Timeo ne a tuis negotiis nimis abstraham (avellam; amo-veam).

R. — Loquere fidenter; iam enim tibi dixi tuas res non minus cordi mihi esse, quam meae sunt. — Ubi tuae res aguntur, meas quoque agi existimo; quasi mihi tecum communia omnia et coniuncta sint. —

Totum me ad tuas rationes adiungam. — Ne meas quidem rationes ad tuas anteponam. — Meas ipsas, si oportuerit, domesticas res pro te abiiciam (pro derelictis habebo; negligam; cuivis casui permittam). — Rerum domesticarum curam pro te deponam.

Quaeritur
apud aliquem commendatio.

Fidem tuam imploro, ut. — Me permitto (committo; trado) in tuam fidem, ut... — Velim sic me Titio commendes, (sic me Titio commendatum habeas) ut maiore cura, (studio; sollicitudine animi) commendare non possis (ut neque maiore studio quempiam, neque iustioribus de causis commendaveris). — Vehementer mihi gratum erit, si me humanitate tua, quae est singularis, apud Titium comprehenderis. — Gratissimum mihi feceris si pro me tantum apud Titium commendationis tribueris, quantum cui tribuisti plurimum (si me quam maxime pro tua dignitate poteris, iuveris atque ornaveris). — Velim me apud Titium quam liberalissime complectaris (omnibus tuis officiis atque omni liberalitate tuearis). — Persuade tibi, nihil me maiore studio a te petere, nihil te mihi gratius facere posse, quam si omnibus tuis opibus me apud Titium iuveris. — Ita a te peto, ut magis ex animo petere non possim, ut omne genus liberalitatis, quod ab humanitate tua profici poterit, apud Titium pro me adhibeas. — Vehementer te rogo cures, ut ex commendatione tua mihi quam quaero utilitas devenerit. — Si me tanti facis quanti ipse ego sentio, cura ut commendatio tua tantum utilitatis mihi sit allatura, quantum et spero et de te confido. — Peto a te maiorem in modum ut mihi in hac re quantum tua dignitas fidesque patitur commodes (cures), ut Titius intelligat commendationem tuam apud se non vulgarem fuisse (maximo mihi adiumento fore; nullam rem mihi maior usui et ornamento,

quam tuam commendationem esse posse).

— Commenda me ei non vulgariter, sed ita prorsus, ut quos diligentissime valde que ex animo soles. — Genere commendationis apud eum pro me utaris, quaeso, quod sit ex intima arte intimo ex animo depromptum. — Quantis apud eum es, tantum valere apud eum commendationem tuam effice, ut intelligat, quum ipsi me commendabas, ea commendatione quae posset esse diligentissima, te usum esse.

R. — Nil mihi potius (antiquius) erit, quam ut optatis tuis satisfaciam (mandata tua persequar). — Haud cunctanter (sine dubitatione; nulla dubitatione [mora] interposita; statim; continuo; iam sane; libenter; non gravate; sine interpellatoribus; remotis arbitris) quae desideras perficiam.

Ne dubitaveris; te ei intime commendabo (de meliore nota commendabo). — Omni studio et commendatione efficiam, ut a Titio postulata obtineas (impetres; assequaris; consequaris; adipiscaris). — A Titio pro te quae desideras exorabo; quin etiam, si opus fuerit, torqueam (auferam; eliciam; exprimam). — Auctoritatem meam omnem in te iuvando collocabo (insumam; consumam; impendam). — Toto animo studioque incumbam in tuum commodum.

— Curas omnes in commodum tuum defigam (transferam). — Omne studium (officium; omnem laborem; diligentiam; cogitationem; operam) ad te adiuvandum conferam. — Nihil non agam (nullum non movebo lapidem) ut quo tendis advenias. — Omnes nervos intendam (omnes machinas adhibeo; vires omnes conferam; omni ope atque opera enitar) ut res voluntati tuae obsecundet. — Omnes prodam animi vires et ingenii (omnem industriam consumam) ut ingenio tuo indulgeatur. — Quidquid auctoritate et gratia valebo, tibi valebo. — In hac re promovenda, studio contendam quam licet maximo. — Summam adhibeo diligentiam summumque

studium ut tibi morem geram. - Ad satis faciendum tibi curam omnem operam que conferam. - Tibi quod potulas impenetrabo.

(*Ad proximum numerum.*)

I. F.

AD SANITATEM TUENDAM

Aphorismi sive praecepta medendi generalia ex pluribus casibus particularibus abstracta, ex variis auctoribus collecta.¹

§ 137. - Diaphoretica cum opiatis mixta felicissima sunt in colicis.

§ 138. - Colica habitualis et endemica a vini acido praesertim oriunda, solis sanatur sudoriferis, vesperi tamen interposito anodynō remedio.

§ 139. - Purgantia quandoque bene cedunt in colica, praesertim si nulli adsint vomitus et febris: denturque in forma liquida.

§ 140. - Dum imminet delirium, vel iam factum est, loco vesicantium secare soleo (BAGLIV.) venam pedis, vel salvarellam interutra manu; exinde diluentia ex seminibus frigidis praescribo: breve iugulatum vidimus delirium.

§ 141. - Delirantibus cum febri acuta, lingua arida, et indicis magnae viscerum inflammationis, si applicentur vesicantia, omnes fere in peius ruunt, et magna ex parte moriuntur convulsi; iisdem e contra si venam frontis vel brachii secandam imperaveris, et exinde larga dederis diluentia, facilime sanabuntur.

§ 142. - Malum, si phrenitis mutatur in lethargiam; non ita, si lethargus in phrenitidem.

¹ Cf. fasc. mens. Februarii.

§ 143. - Multi dementes et maniaci sanati fuerunt demergendo eos in aquam eadem methodo, qua merguntur hydrophobi, quorum unica curatio est repetita in aquam immersio; methodum hanc sanandi mente captos in Anglia expertus est Dr. Robertson maxima felicitate. (*Foras proiiciendo copiosos sudores prodest. STOLT.*)

§ 144. - Si difficulter spiraverit, venam brachii tundito, etiamsi hydrope laboraverit (BAGLIV. ex Hippocr.).

§ 145. - Si quis vesperi hora somni, sed praecipue post tres aut quatuor horas somno impensas, derepente expurgiscatur ingenti asthmate, sive suffocatione correptus, atque fenestras aperiat, liberumque aërem desideret: pro certo habeto illum hydrope pectoris laborare, multo magis si pedes aut manus tumere coeperint, cum facie a nativo colore recessu, et prae ceteris, si accedit torpor, seu incipiens brachii paralysis: huiusmodi brachii torporem in aliis quoque pulmonum morbis, praesertim peripneumonia observamus; asthmate laborantibus si pleuritis vel peripneumonia superveniat, fere semper moriuntur.

§ 146. - Asthmaticis dysuria, superveniens bonum, cessante ischuria, denuo asthmate corripiuntur. Exinde magis confirmatur, quod pluries adnotavimus; nempe in morbis pectoris semper ducendum esse ad vias urinae natura id monstrante.

§ 147. - Diuretica ex salibus liscivialibus et acidis parata in morbis pectoris non adeo tuta sunt, nam tussim movent, et morbum exasperant; contra, pulvis millepudum, therebentina.

§ 148. - Balsamum peruvianum, decocatum radicum aperientium, syrupus de althaea Fernelii, urinam potenter movent nec bronchis pulmonum membranulis infensa sunt.

§ 149. - Asthmaticis si excitentur apo-

stemata in cruribus, forsitan solvunt morbum; ideo iuvant cauteria in cruribus.

§ 150. - Accessiones asthmatis frequentiores sunt caelo frigido et humido, praecipue inter crapulandum.

§ 151. - Asthma frequentius invadit obesos et otio macescentes.

§ 152. - Pulsus inaequalis familiaris est pulmonum morbis quamplurimis.

(*Ad proximum numerum.*)

I. FAM.

EX ITALIS URBIBUS

Doctores Catholici Athenaei Mediolaensis in Vaticanis aedibus.

Pius XI Pontifex Maximus, princeps mitissimi ingenii, qui vix regnum auspicatus, perpetuus pacis auctor, atrocias Messicana bella est deprecatus, novissime Rectoribus Italorum regni pacem atque concordiam suadendo, in omnem late orbem terrarum dominatur. Atque adeo vix nuncium foederis est in vulgus allatum, quum universae italicae civitates effusis gaudiis, veluti ex composito, gratias Pontifici Maximo egerunt et Italorum Regi cum supremo Italicarum rerum Duci et moderatori, qui sine animorum invidia rebus nostris mirifice consuluerunt.

Incredibile dictu est quot laudibus et exterae nationes hoc nuncium acceperunt, et Pontificis Maximi dignitatem sunt admirati, qui paterna auctoritate confisus, mirabiliter ausu veluti ad adversarios accessit, sapienterque cum iis pacis conditiones statuit. Quo facto, et ipsi qui a voluntate Pontificis dissentiant, eum nunc Italicae dignitatis et incolumentis adsertorem uno omnibus ore profitentur.

Doctores Archigymnasii Mediolanensis, qui optime norunt, quam sint Ponti-

fici Maximo cari atque accepti, in cuius tutela maxime esse confidunt, hanc opportunitatem nacti, publice postularunt ut ad eius augustam praesentiam admitti possent, gratulaturi quod uno modo actu tot sibi merita acquisierit. Pius XI, etsi ut Pontifex Maximus universam terram aequo animo respicere noverit, attamen, in Insubria natus, antiquae veluti patriae igniculos sentit quotiescumque nativitatis locum quis in mentem revocat, benigne statim precibus est assentitus.

Die itaque tertia decima Februarii frequentissimi illi in Urbem conveniunt.

Eos laeto animo hilarique vultu Pius PP. XI accepit et paterna veluti amoris significatione prosequutus, monuit quid maximum quid prae cunctis in illo foedere feriundo, sibi proposuit quodque, Deo adiuvante, cunctis hominum suffragiis, ultro obtinuit.

« In Italia, - aiebat propemodum Pontifex, abhinc quinquaginta et amplius annos, publica auctoritas hoc sibi unum consilium proponere videbatur, ut Deus a legibus, a scholis, et ab ipsis familiis fastidiose expungeretur. Quod lamentabili utique fato facile complevit. Quid volui? Quid hoc nisu tentavimus? Ut Deus, qui vere est rerum omnium Dominus, ad suos tandem rediret. Unum restat, ut primo quoque tempore, postquam adlaboravimus ut Italiae Deum concederemus, Deo Italiam dare fas sit. Quod vero commodius fieri poterit, si et vos, viribus coniunctis, veluti acie composita, mecum hoc bellum pugnare volueritis».

Haec atque alia mira quadam eloquii abundantia et paterna familiaritate atque elegantissime dixit, quae si suaviter tibi facile revocaveris, verbis autem iterum explanare, nisi ea decerpere volueris, vanum est.

Quae quum audirem et voluptate in mente gratissima revolverem, Romanorum Pontificum dominium admirabile

admodum esse sensi, et in hac potissimum aetate posse sibi Vergilianum carmen aptare:


Imperium terris, animos aequabit Olympo!

Utinam ut pacatis tandem mortalibus et Ipse Pontifex Maximus, uti maxime exoptatur, in urbes omnes Italiae triumphans invehī possit!

Ut Pius XI in primis, qui dies sacri principatus computat benefactis in genus humanum collatis, ferventi animo adprecamur in augusta sede diu placideque intersit populo christiano.

Quum hosce ego senex doctores cernebam, in quibus complures florenti adhuc aetate adnumerantur, et iam scriptores nostri temporis politissimi atque in diversos doctrinae ordines adlecti primas obtinēt, omnia libenti animo sum bona auspicatus, illud omnino contendens, ut in proposito sibi agone luctantes, pro patria ac religione fortissime decerent, et fructus haud poenitendos in futurum sint relaturi.

SENIOR.



ANNALES

Post foedus Lateranense.

Commotio suavis iucunditatis ob foedus ad Lateranum inter Italiam et Apostolicam Sedem initum, perdurat adhuc, et late in omnium gentium animis, usque ad extremos orbis fines diffunditur. Cuius interpres factum est collegium legatorum variarum nationum apud Pontificem, qui coram Ss̄mo admissi, per eorum decanum, prout vulgo nuncupatur, atque nunc est Brasiliae legatus, hosce sensus sollemniter expresserunt.

Civilia bella.

In Mexicana republica et Afganistano regno civilia bella sine intermissione furiunt, neque ferme diudicari licet cui belantium parti fortuna faveat; incertae enim notitiae sunt, atque praedicata hodie victoria, fit postero die clades. Hisce intestinis bellis aliud recens accessit, scilicet apud Sinas, idque heu! cruentissimum. Salvi saltem evadant generosi illi, qui ad Christianam humanitatem invehendam, sacrificium vitae sua in iis regionibus gratificantur!

POPULICOLA.

Nihil denique restat, quam ut coetus legibus ferendis, his diebus electus in comitiis, quae plenis prope suffragiis hodierno gubernio favorabilia cesserunt, pactiones sanciat; quas deinde hinc Pius PP. XI, inde Victorius Emmanuel III rex, auctoritate sua confirmabunt.

Nationum societas.

Genevae habita est quinquagesima et quarta supremi Societatis Nationum consilii sessio, nullo quidem exitu, peculiari memoria digno. Quae enim maximi momenti quaestiones erant, nempe de minorum partium iuribus, atque de foederibus retractandis iuxta Germanorum postulata, eae ad aliud tempus dilatae sunt.

In Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis.

In Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis magistratum init novus electus Praeses Hoover, qui Shinson, quondam Philippinarum insularum rectorem, ad exteris res moderandas sibi a secretis addixit.

Civilia bella.

In Mexicana republica et Afganistano regno civilia bella sine intermissione furiunt, neque ferme diudicari licet cui belantium parti fortuna faveat; incertae enim notitiae sunt, atque praedicata hodie victoria, fit postero die clades. Hisce intestinis bellis aliud recens accessit, scilicet apud Sinas, idque heu! cruentissimum. Salvi saltem evadant generosi illi, qui ad Christianam humanitatem invehendam, sacrificium vitae sua in iis regionibus gratificantur!

VARIA

PIO XI PONT. MAX.

QUAESTIONE ROMANA ORBE PLAUDENTE
FELICITER SOLUTA ET RITE COMPOSITA

Gemmis usque novis quot trina corona refulget [get

Per Te, qui Christi sceptra vicesque geris!
Cunctis splendidior sed trinae est gemma [coronae

Italiā Sedi conciliasse Petri.
Est factum hoc ingens Christi Fideique triumphus,

Unde Tibi et Patriae gloria celsa venit;
Hoc erat in votis et corde calente rogabant

Qui Patriae studium Religione fovent;
Hoc sit et auspiciū redditurae pacis in orbem,

Quae sua det populis dona cupita diu.
O pacis radios effundat Virginis Aedes

Praesidium Itiae, Gentibus unde salus!
Et tandem unus grex fiat Pastore sub uno

In Christi Regno pace beante dies.
Aurea dum Tecum celebrant Tua gaudia

[nati,
Quae solvo exultans accipe vota, Pater!...

Laureti in Piceno, xi Kal. Mart., a. D. MCMXXIX.

JOANNES FRATINI.

Veris descriptio.

Duram et saevam hiemem ver excipit, regina omnium tempestatum. Tunc caelum omne mitescere; sol purior renidere; aurae, pulsis frigoribus, tepescere; ludere molles zephyri, afflare favonii. Tunc frugiferos sinus benignissima parens tellus recludit, et virescentium suaviterque olenium herbarum genera innumera exprimit. Arbores et plantae novis se frondibus induunt, prataque florum copia conde-

corantur. Qua nives iacuere, prodeunt iam pudibundae violae; qua omnia glacie torpuerant, iam tumescunt gemmae; adspicies brevi vernare rosas, fragrare casias, olere serpylla et mentam, et thymum et argenteos narcissos, et purpureos amaranthos, et lilia candida, odoratosque hyacinthos, et formosissimas tulipas, et versicolores cariophyllos, et verbenas molles; sed et circumvolitare papiliones variopictos, et apes argumentosas, aliaque id genus innumera, quae visum iuxta et olfactum titillant, permulcent, et mira voluptate perfundunt.

Vere ineunte fluvii aquarum copia, liquecentibus iam nivibus montanis, tumescunt, ripas transiliunt et exundant. Fontes vero, hibernis compagibus expediti, manant liquidius et rivorum decurrentium aquula, argenti similis, allisa et impacta molliter ad pelluentes lapillos, grato murmure sensibus animisque blanditur. Advena hirundo hospita tecta revisit, luteumque nidum celsae trabi suspendit. Sublime petit cassita, garritque in aere pendula. Hic frigillae querulæ, hic acanthides blandaæ, atrae hic merulæ, illic lusciniae canoræ aemulo concentu decerant et suavissimos numeros modulantur. Pecora, stabulis relictis, surgentes pratom virgulta carpunt dente capellæ; perque virentes agros haedi petulci balantesque agni lasciunt.

Interim upiliones nunc per gramen abiecti, nunc umbrōsis rupibus insidentes concinnant fistulas, pastoralia carmina instauraturi. Laetus agricola serenum intuetur caelum, aratum reficit, boves sub iuga strenue cogit, et dulces imprimunt sulcos: semina telluri committit, sperans (digna laboribus praemia) fructum ingenti se foenore percepturum. Hoc tempore quoque putantur vites, tondentur alni et salices glaucae, et populi albae. Castaneæ, mali, piri ceteraque arbores fructiferae

mundantur, ut, veteribus induviis et sor-
dibus excussis, novis foliis, novis ramis,
quasi laetiori veste induantur.

A. B.

Mures.

Mures aliquando habuerunt consilium,
quo modo a fele caverent. Multis aliis
propositis, omnibus placuit, ut ei tintinnabulum
adnecteretur: sic enim ipsos, so-
nitu admonitos, eam fugere posse. Sed
quam iam inter mures quaereretur, qui
feli tintinnabulum adnecteret, nemo reper-
tus est.

Fabula docet, in suadendo plurimos
esse audaces, sed in ipso periculo timidos.

**Pro iudicibus mensarum elegan-
tibus.**

ESCARUM ORDO:

*Ius regium.**Bovina caro ad publicanorum morem
comparata.**Artocreas ex cynaris scolymis.**Agnus assus cum oleribus ovisque
torrefactis.**Offae flore lactis refertae.***locosa.**

Tuccius in schola.

Magister enuntiata profert, quae disci-
pulus complere debet:MAGISTER - Simulacra oculos habent,
sed nequeunt...

Tuccius - Videre.

MAG. - Aures habent, sed nequeunt..

TUC. - Audire.

MAG. - Nasum habent, sed nequeunt..

TUC. - Nares emungere!

Tuccius ferox condiscipulis:

— Una vice tantum alapa percussus
fui; sed qui colaphum mihi impingere est

ausus, gravissimam passus est poenam;
mortuus est!

Timore perterrentur qui adsunt; Tuc-
cius instat:

— Ita quidem: post aliquot menses,
febi scarlatina corruptus!

**Aenigmata.**

I

Oppida vel campos, montes, vel cerula mon-
[strat.
Torquet, hiat, cruciat, tabo funditque cruo-
[rem.
Captivos reddens pisces, fallitque volucres.

II

Per fratrem cecidit, studio moderaminis orto.
Undis luctatur, dirigit atque citus.

Aenigmata in superiore fasciculo pro-
posita his respondent: 1) *Fucus*; 2) *Fides*.

Libera a pittaciis responsa

Cl. v. ALOIS... NGO... , *Bukalasae*. — Quem-
admodum animo providebas, litterae tuae
serius, quam ut par erat, ad nos pervene-
runt. Licet vero ad tempus traditae essent,
valde dubitarem, fateor, utrum desiderio tuo
satisfacerem: rei enim, de qua scripsisti,
argumentum id esse mihi videbatur, quod
auctoritate apud illos viros careret. Nar-
ratiunculae, historiae, melicaque ab eventibus
gravis late ponderis praefreruntur, ut tibi
persuadere poteris ab exemplis in nostro
commentario allatis, et quae proxime sequen-
tur. — Macte virtute ac fidenter procede!

Cl. vi. PAUL. V. GOM... , *Csorna* — Vir ille,
de quo loqueris, gravi morbo laborat, ideoque,
opinor, tibi non respondit. De ceteris, libro-
rum indices a se editorum quaeras ab officina
Paraviana, Augustae Taurinorum.

A SECRETIS.Dr. JOSEPHUS FORNARI, *Moderator, Sponsor.*

ROMAE - TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.